

Vossig de tribus Symbolis.

Calixti Praeemium in Augustini libros 4 de doctrina Christiana et Vincentij commentationem.

Oratio panagyrica.

Disputat. de Paulis.

de Baptismo & Eucharistia

de Sacro Santa Domini coena.

de statu animarum separatarum et.

Decem in Jho. Arianos.

Programma. Jho. Neubisium.

~~de~~ ~~de~~ ~~de~~

Stylus Jho. Bugserum.

DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM
SEPTIMA

DE IVSTIFICA-
TIONE.

CVIVS THESES
AVSPICE DEO OPT. MAX.

SVB PRAESIDIO
M. GEORGI CALIXTI
HOLSATI
IN ILLVSTRI ACAD.
IVLIA

proprio. Eid. Quinctil.

DEFENDET
SIMON STRVVIVS
• Goslariensis.



HELMAESTADI,
Ex officina typographica IACOBI LVCII,

ANNO MDCCXI.



AMPL. MIS PRVDENT. MIS & CONSVLT. MIS
VIRIS,

Dn. M. IOANNI RECCIO,

Dn. ERNESTO SPIEGELBERGIO
COSS.

Dn. FRANCISCO KLELNIO, I. V.
DOCTORI ET SYNDICO,

Dn. CYRIACO Wicken/CAMERARIO,

Dn. MARTINO GROBECCERO

TRIBVNO inclutæ & liberæ Imperialis

REIPVB. GOSLARIEN-

SIS,

*Dominis Mæcenatibus & promotoribus omni
obseruantia colendis,*

Disputationem hanc in grati & deuoti ani-
mi signum dedicat & offert

Respondens.



EX OFFICINA TYPOGRAPHICAE LACORII VCI

Anno 1741



DISPUTATIO VII.
DE IUSTIFICATIONE.

Resp. SIMONE STRVVIO Goslariensi.

THESIS I.

Doctrinam de iustificatione hominis coram Deo breuiter tractaturi, & ad disputandum proposituri, principio ipsum vocabulum paucis explicabimus: quod nunquam non aliàs hinc præcipuè necessarium.

II. Forense verò esse fortè tam manifestum est, vt facile negari non possit. Significat enim *iustificare* iustum declarare, pronunciare, reputare, Ies. 5, 23. Væ iustificantibus impium propter munera.

III. In Hebræo est הִצְדִּיק à radice צִדַק cuius significatio in tertiâ coniugatione per iudicium & adseuerationem alterius alteri tribuit motum & qualitatem illam, quam notabat in primâ.

IV. Ita itidem in tertiâ significat $\text{עָשָׂה$ quod priori contrarium est, iniustum pronunciare, condemnare. *Prouerb. 12, 2. Ps. 37, 33.* Ita רִדַּף mendacij arguere aut conuincere. *Iob. 24, 25.* Et essent plura; sed ad nostrum.

V. Quod aio in toto veteri testamento non legi nisi aperte & directè (vnum excipio locum Danielis) in isto, quem diximus, significatu forensi. Et imprimis ille manifestus est in locis, in quibus צִדַק iustificare suo contrario $\text{עָשָׂה$ condemnare adponitur aut opponitur. Vide *Deut. 25, 1. 1. Reg. 8, 32. Iob. 9, 20. 40, 3. Prouerb. 17, 15.* c. 12. v. 3.

VI. Neq; alium introducet in nouum foedus qui confi-

V

dera-

derauerit & vtrumq; ab eodem Spiritu profectum esse; & hoc illi conforme Græcum sermonem ad Hebræi veritatem & proprietatem adcommo-
dare. *Vide Matth. 12, 37. Luc. 18, 14. Act. 13, 38.*

VII. De locis, quibus noster hic articulus vel adumbratur vel tractatur præcipua cura & quaestio. In ijs verò nullum
Rom. 8, 33. alium inesse abundè testetur insignis sententia Pauli: *Quis ad-*
c. 50, v. 8. *cusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui con-*
demnet? &c. quam repetijt ex Iesaiâ, qui ait: *Iuxta est, qui iu-*
stificat me, quis contendet mecum?

II X. Quippe placuerunt Spiritui sancto hæ forenses vo-
culæ, quibus adpositè depingeretur forum illud, in quo ho-
mo peccator coram cœlesti tribunali accusatur, & à iudice
Deo opt. max. iustificatur, hoc est, iustus pronunciat.

IX. Quoniam verò iustificantur peccatores (id enim li-
quet; quum omnes homines tales sint, & Deus dicatur iusti-
Rom. 4, 5. ficare impium) eorum peccata ipsis remitti, aboleri & non
imputari necesse est.

X. Iustificatio igitur est remissio peccatorum. Inspici-
antur & conferantur *Psal. 32, 1 & 5. 85, 2. Matth. 6, 12. 9, 2.*
18, 27. 26, 28. Marci 1, 4. Luc. 1, 77. 3, 3. 7, 48. Act. 2, 38. 5, 31. 10, 43.
13, 38. Rom. 3, 25. 4, 7. Eph. 1, 7. Coloss. 1, 14. Et obseruentur æquiua-
lentes scripturæ loquutiones admodum illustres; quales sunt
Non intrare in iudicium. *Pf. 143, 2.* Remotio iniquitatum tan-
ta, quanta est distantia orientis ab occidente. *Pf. 103, 12.* Dele-
tio iniquitatum & obliuio peccatorum. *Ies. 43, 25. Pf. 51, 1 & 9.*
Ablatio iniquitatum, & transitus super præuaricationes. *Mi-*
che. 7, 18. Proiectio peccatorum in profunda maris *v. 19.* E-
mundatio ab omni iniquitate. *Ierem. 33, 8. Iezech. 37, 23. 1. Io-*
an. 1, 7. Non imputatio peccatorum. *Rom. 4, 7. Beati quorum re-*
missæ sunt iniquitates, quorum recta sunt peccata. Beatus vir, cui
non imputabit Dominus peccatum. 2. Cor. 5, 19. Deus erat in Christo

mur-

mundum reconcilians sibi, non impurans illis delicta ipsorum.

XI. Hinc manifestum est iustificationem nostram non esse impletionem aut obseruationem legis. Præterquam enim quod eam remoueant quæ iam dicta sunt; nominatim etiam remouetur & alibi & in epistolis Pauli vel maximè ibi, ubi ex professo huius doctrinæ tractatio instituitur, utpote Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3.

XII. Accedit quòd lex requirattotam animam, totum cor, omnes vires, & omnes cogitationes; quòd non requirat tantùm externam obedientiam, sed transgressus sit, exempli gratiã, quinctum præceptum, qui vel fratri suo irascatur, vel Raha eum aut fatuum adpellet; quòd *quicumq; totam seruauerit, offendat autem in vno, factus sit reus omnium.*

Deut. 6. 5

Matth. 22.

37.

Luc. 10, 27

Matth. 5.

Iac. 2, 10.

XIII. Hoc considerato consideret vnusquisq; an legem vllus mortalium etiam renatorum vnquam seruauerit, aut seruare possit. Hoc *iugum* ait Petrus *neq; patres nostri neq; nos portare potuimus.* Ad cæremonias ne restrinxeris; aut sub eorum onere omnes humanas vires defecisse dixeris. *Non est homo, qui non peccet,* ait Salomo. *Non est iustus, ne vnus quidem omnes deflexerunt & inutiles facti sunt.* Necessè enim est *ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus Deo.* Si igitur *dixerimus nos peccatum non habere, nosmetipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* Quoniam etiam *qui iustus in die cadit septies.* Et pro remissione peccatorum *orat omnis sanctus,* quod omnes orare docuit Seruator: *Dimitte debita.* Nam *si iniquitates obseruauerit Dominus, quis sustinebit?*

Act. 15, 10.

1. Reg. 2, 46.

Rom. 3, 10.

19.

1. Ioh. 1, 8.

Prou. 21, 16.

Pf. 32, 6.

130, 3.

XIV. Quod si necdum intelligit, consideret *cogitationes cordis humani malas esse à pueritiã:* consideret, quæ scribit Paulus: *Scimus legem esse spiritualem: at ego carnalis sum, venundatus sub peacato. Non facio bonum quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago. Inuenio hanc legem volenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiaceat. Condelector legi Dei quò ad interiorem hominem.*

Gen. 8, 21.

Rom. 7, 14.

19.

21.

22.

V 2

Sed vi-

23. *Sed video aliam legem in membris meis &c. Quippe caro concu-*
Gal. 5, 17. *piscit aduersus spiritum.*

Deut. 28, 58. XV. *Vsq; adeo rectè ex Moseh collegit: Quicumq; ex ope-*
Gal. 3, 10. *ribus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus*
21. *omnis qui non permanserit in omnibus qua scripta sunt in libro legis,*
ut faciat ea. Et infra: Si data esset lex, qua posset viuificare, verè
ex lege esset iustitia.

19. XVI. *Obijcitur: Quid igitur lex? Respondet: transgressi-*
24. *onum causâ adposita est. Item: Pedagogus noster fuit in Christum.*
Rom. 3, 20. *Et alibi. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.*
Per legem enim cognitio peccati.

XVII. *Et nota moralem legem esse, quæ transgressio-*
num causâ adposita, & per quam cognitio peccati: nostram-
que iustificationem de morales legis obseruatione negari.

XVIII. *Atq; de hoc quia negetur, negari quoq; de infu-*
sione qualitatum ac virtutum & habitualium & actualium.
Nam hæ quoq; ad legem spectant: quum dicantur in nobis
inhærentes operari, Deoq; & mandatis eius satisfacere. In
solidum verò iustificatio quibuscumq; huiusmodi à Spiritu
sancto adimitur, & esse dicitur gratuita remissio peccatorum
Rom. 8, 3. *& imputatio meriti Christi. Quod impossibile erat legi in quo in-*
firmabatur per carnem Deus suo ipsius filio misso &c. Si possibile
Gal. 2, 21. *aliquid legi, aut si per legem iustitia, Christus frustra mortuus est.*

XIX. *Neq; tamen interea negamus perpetuò coniun-*
ctas esse iustificationem & renouationem: at res dicimus esse
1. Cor. 1, 30. *diuersas, adeoq; Paulum distinguere. Christus factus est nobis*
iustitia & sanctificatio: quippe hanc effectum esse, qui illi suæ
causæ necessariò adsit. Vnde simul atq; iustificatur quispi-
am, immediatè sequitur innouatio. Verum quæstio est quid
fit iustificatio, non quid ei inseparabiliter adhæreat.

XX. *Constat itaq; de formâ, siue de eo quid res sit, aut*
non sit. Vtèrius disquirendum est de producentibus aut effi-
cientibus eam.

21. Ma-

XXI. Materiam quidem hominem esse, eumq; peccatorem antea probauimus. Vt vel hinc adpareat ab ipso tamquam passiuè & in potentiâ ad formæ introductionem se habente non proficisci ipsam formam. Quare sui iustificationem homo efficere non potest.

XXII. Sed neq; præparationibus aut operibus suis mereri potest, vt à Deo iustificetur. Si enim opera illa sine mandato fiunt, frustra fiunt. Sin ex mandato, *num gratiam habet seruo, quia fecit, quæ illi præcepta fuerant? non puto. Ita & vos, quum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus.*

XXIII. Deinde *quum peccatum sit, quidquid ex fide non est*; ex fide verò non operetur nisi regeneratus & iustificatus: sequeretur hominem peccatorem qui sui iustificationem mereatur, peccatis eam mereri. Quare optimè August. *lib. de fide & operibus c. 14.* Sequuntur opera iustificatum, non præcedunt iustificandum.

XXIV. Et quum à Deo non possit quid impetrare, qui ipsi displiceat; displiceat verò quicumq; extra Christum & sine fide est: etiam in eadem absurditatem hoc modo deuenitur.

XXV. Quamquam virtutes in suo genere non deminui-
mus, sed potius bonas, laudandas & sectandas prædicamus: in hoc tamen puncto & iustificationis momento multò magis de non renatorum, h. e. *in delictis & peccatis mortuorum* operibus fateri cogimur, quod de suis renati Paulus & Iesaias facti sunt. Ille quidem: *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc iustificatus non sum.* Et: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, eaq; ipsa alibi σὺβάλα vocitat.* Iste verò: *Facti sumus vt pollutio omnes nos, & vt vestimentum inquinatum omnes iustitiæ nostræ.*

XXVI. Nam & renati, quamdiu viuunt, carnem circumferunt, eiusq; contra Spiritum pugnam & membrorum

repugnantiam sentiunt. Neq; igitur renatorum opera ex totâ animâ & toto corde proficiscuntur. At hoc lex requirit; & Dominus scrutans corda & probans renes illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Adde quòd vnum aut alterum bonum opus continuò contaminetur, euacuetur & annihiletur peccatis longè pluribus ac grauioribus.

Iere. 11, 20.
17, 10.
1. Cor. 4, 5.

ad Rom. &
Gal.

XXVII. Verùm satis superq; quæ Paulum disputare monuimus, legem & opera legis remouent; & hoc non minus quòd ad modum efficientis, quàm quòd ad modum formæ: vt omninò verum sit, hominem nullis præparationum aut dispositionum operibus suam iustificationem promereri posse.

XXVIII. Hoc enim vocatur in dubium, an bona opera, an habitus, an virtutes iustificent, siue id fiat per modum formæ, siue efficientis. Nos vtrumq; negamus: neutiquam negamus studendum esse bonis operibus, aut faciendos dignos poenitentiae fructus. Nam arbor bona facit fructus bonos: prius tamen ipsa bona sit, necesse est. Et non vocauit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem: vt abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus sapienter & iuste & piè viuamus in presenti seculo. Vide Rom. 6. Coloss. 3. Gal. 5, 24. Tit. 3, 8.

Matth. 3, 8.
7, 17.
1. Thef. 4, 7.
Tit. 3, 12.

XXIX. Quoniam itaq; homo suæ iustificationis efficiens causa nullo modo esse potest; superest vt non in ipso eam quæramus. At nemo nos rectiùs duxerit nec docuerit, quàm qui ipse illam neq; ab homine accepit, neq; didicit, sed regeunte Iesu Christo. Is verò ita: Iustificati gratis ipsius gratiâ. Rom. 3, 24. Tit. 3, 7.

Gal. 1, 12,

XXX. Neq; quid voculâ Gratia (non vrgebimus vim ipsius vocabuli, & proprietatem omnium linguarum) hisce in locis innuat, ambigere potest, qui eos inspicit. Explicat enim ibidem luculenter. Quum adparuit, ait, benignitas & humanitas nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos fecit nos.

Tit. 3, 4.

XXXI. Ut nefas sit in aduersarium sensum detorquere, & contendere per gratiam significari gratis infusam qualitatem seu accidentalem animæ formam siue habitū, per quem operemur. Nam contradiceret sibi Apostolus, si primū diceret: *saluos nos fieri non ex operibus iustitiæ quæ fecerimus*; Deinde adderet: *Iustificari nos gratiâ*, & hoc idem esset, quod iustificari nos gratis dato habitu per quem operemur & mereremur. Vtiq; enim & ista forent opera iustitiæ quæ fecerimus, quamquam prouenissent ex datâ gratiâ. Et quomodo sit in iustificatis peccatum pugnans contra legem, si iustificari sit per gratiam formaliter iustum fieri?

XXXII. Idem quoq; manifestum est ex ijs, quibus docet iustificari nos sine meritis, sine lege, sine operibus legis. Infusa enim gratia maximè operatur & meretur; & nequaquam distingui potest contra legem, quum à lege requiratur & legi satisfaciatur.

XXXIII. Paulus itaq; utitur his formulis. Rom. 4, 4. *operanti merces imputatur non secundum gratiam, sed secundum debitum. Non operanti verò &c.* Rom. 5, 14. *non estis sub lege, sed sub gratiâ.* Rom. 11, 6. *Si gratiâ, non iam ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Gal. 5, 4. *Qui in lege iustificamini à gratiâ excidistis.* Petrus in concilio Hierosolymitano: *Iugum legis neq; patres nostri, neq; nos portare valuimus. Sed & per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos seruatum iri, quemadmodum & illi.* Act. 15, 10.

XXXIV. Capite primo ad Ephesios verba adeo clara, ut nemo non animaduertat per Gratiam denotari gratuitum fauorem. Quippe huiusmodi sunt: *prædestinauit nos in filiorum adoptionem secundum bonum adfectum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, cū ñ ἐχαρίτωσεν in quâ gratos habuit siue dilexit nos in dilecto.* v. 5.

XXXV. Capite sequenti priusquam diceretur; *gratiâ seruati* v. 8.

v. 4. *feruari estis, præmissum est: Deus qui diues in misericordiâ pro-
pter plurimam caritatem suam quâ dilexit nos, & quum essemus
mortui peccatis conuiuificauit nos Christo. Ad Colossenses c. 3.*

v. 13. ἀνεχόμενοι ἀλλήλων, ἔχαριζόμενοι ἑαυτοῖς, εἰάν τις πρὸς ἕνα ἔ-
χη μομφὴν καθὼς ἡ ὁ χριστὸς ἔχαρισατο ὑμῖν, ἕτω ἡ ὑμεῖς. Num-
quid & nos χαρίζομενοι ἀλλήλοις infundemus aliquem habi-
tum? Sic & cap. 2. v. 13. χαρισάμενοι ἡμῖν πάντα τὰ ὀφθαλμώμα-
τα. χάρις igitur nihil aliud est Paulo, quàm gratuitus fauor,

1. Ioh. 4. 10. *peccata condonans. Accedat testimonium Ioannis: In hoc
est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dile-*

2. Tim. 1. 9. *xit nos. Nam data est nobis gratia ante tempora seculorum; con-
iungiturq; cum proposito diuino: vt inhærens in nobis quali-
tas ne quidem fingi possit. Vt neq; nisi cum implicatione con-
tradictionis Rom. 5, 20. Vbi abundauit delictum, ibi superabun-
dauit gratia.*

XXXVI. Quid alibi (vt 1. Cor. 12, 3. Eph. 4, 29. Colof.
4, 6.) metonymicè Gratia significet hîc operosè non inquire-
mus. Operæ precium autem est adnotare, aduersarios Pon-
tificios qui per gratiam quam ipsi gratum facientem vocant,
& à Paulo intelligi atq; infusum habitum esse dicunt, admo-
dum inter se dissentire, quisnam & qualis hic sit habitus. Tho-
mas 1, 2. q. 110. art. 3. docet realiter distinctum esse ab habitu
caritatis; Albertus Magnus formaliter; Alexander Aletensis,
Scotus, Richardus, Henricus non nisi ratione; Durandus 2.
dist. 26. q. 1. num. 7 & 8. solis vocabulis: nec adhuc inter eos
conuenit. Nam Greg. de Valentiâ Thomam sequutus grati-
am hanc diuersum à caritate habitum esse disputat, *comment.
in 1, 2. disp. 8. quest. 2. puncto 2*; Bellarminus contrà re non di-
stingui ab habitu caritatis, *l. 1. de gr. & lib. arb. c. 6*. Nempe
tantos doctores, modò nobis strenuè contradicant, non pu-
det ignorare, quidnam illud sit, quo formaliter iusti sint co-
ram Deo, & in quo vita sita & salus. At nobis sufficit demon-
strasse

strasse per Gratiam in locis, quibus de iustificatione & salute nostrâ tractatur, nihil denotari aliud quàm gratuitâ clementiam & misericordiâ, quâ Deus nos immerentes amplectatur.

XXXVII. Quod quò planius esset, Apostolus insuper voce *διωρεάν*, quæ omne meritum ac precium excludit, usus est, ubi ait: *Iustificari gratis ipsius gratiâ*. Quamquam enim gratis Rom. 3, 24. infunderetur ista gratia, non tamen gratis iustificaremur, si gratia esset, per quam habitualement operantes condignè mereremur.

XXXIIX. Gratis itaq; à parte nostri. At perfectam obedientiam, plenam satisfactionem & sufficiens meritum rigor iustitiæ diuinæ exigit. Quare hæc etiam continuò subiungit.

Addit enim: *per redemptionem, quæ est in Christo Iesu: quem proposuit Deus propiciationem per fidem in ipsius sanguine*. Hic videlicet causa efficiens est per modum meriti.

XXXIX. Deus enim *eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso*. 2. Cor. 5, 21.

XL. Meritus verò est *ὁ θεὸς ἠγάπησεν* & agendo, & patientiâ. Agendo quidem quia *factus sub lege venit adimplere legem*. Neq; *iniuriam fecit, neq; dolus in ore eius*. Patiendò, quoniam *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros baiulauit. Et vulneratus est propter prauaricationes nostras, adtritus propter iniquitates nostras. Castigatio pro pace nostrâ super eum*. Galat. 4, 5. Matth. 4, 17. Ies. 53, 9.

XLI. Poena igitur super eum, non sola culpa: & vtramq; tulit, pro vtraq; satisfecit. Atq; pro culpâ non tantùm originali, sed etiam actuali: nam & hæc & illa nostræ sunt: *& sanguis eius emundat nos ab omni peccato*. 1. Ioh. 1, 7.

XLII. Neq; hoc quia sanguis est nudi hominis: sed quia Deus est qui *adquisiuit Ecclesiam per proprium sanguinem; quia Dominus gloriae est, qui crucifixus; quia auctor vitæ est qui interfecit*. Act. 20, 28. 1. Cor. 2, 8. Act. 3, 15.

XLIII. Huius sufficientissimi meriti sufficientiæ derogant,

gant, quicumq; operum merita comminiscuntur, ijsq; ali-
Rom. 5, 17. quid eius, quod isti totum debetur adscribunt. Nam *per uni-*
1. Tim. 2, 5. *us obedientiam iusti constituuntur multi. Et vnus est Mediator.*

XLIV. Torum verò istud meritum nostrum fit per im-
putationem, quâ Deus pater quæcumq; suus filius egit & pas-
sus est misericorditer nobis imputat, qui neq; agendo legi im-
plendæ, neq; patiendæ poenæ sustinendæ satis esse possumus.

XLV. Atq; ad eundem modum prius ipsi filio imputa-
ta sunt, quæ nos oportuisset & agere & pati; non secus ac si il-
le legi subiectus fuisset, aut delicta nostra perpetrasset. *Vide*
Iesai. 53. 2. Corinth. 5.

XLVI. Verùm enim verò, sicut filio realiter non est in-
fusa nostra iustitia, sed tantùm consilio & beneplacito diui-
no imputata: ita neq; nobis iustitia aliqua infunditur, sed im-
putatur.

XLVII. At huiusmodi imputatio, quæ fit voluntate &
Rom. 14, 17. ad probatione Θεῶ τῶ καλῶν τῶ τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, efficax a deo
est, vt Christum oportuerit ob ista sibi imputata delicta atro-
cissimum supplicium subire: nos verò ob hoc nobis imputa-
tum meritum adpareamus in conspectu Dei iusti & sancti,
quasi nihil mali vmquam fecerimus, aut abundè pro factis sa-
tisfecerimus.

Phil. 3, 9. XLVIII. Ideo & Paulus inueniri cupit *in Christo non ha-*
bens propriam iustitiam, sed illam quæ ex fide Christi; quam cui
Rom. 4, 6. homini Deus imputet, eum beatum alibi prædicat. Ideo Ie-
Iere. 23, 6. remias bis dixit: *Iehoua iustitia nostra.*
33, 16.

XLIX. Lux huic rei non obscura à similibus, quibus v-
titur scriptura. Debemus homini regi, cui adsimilatum est
regnum cœlorum, myriadem talentorum: captiui detine-
mur à diabolo, peccato, morte. Neuteribi sumus soluendo.
Colof. 2, 14. Venit Christus *delens quod erat aduersus nos chirographum, ad-*
15. *figens illud cruci. Exspolians principatus & potestates traduxit con-*
fiden-

triumphans illos in seipso. Hæc & debiti & λόγος perfo-
ratio nostra non potest fieri, nisi per imputationem, quâ men-
tali translatione pro nostro habetur, quod alterius est.

L. Est & hostiarum veteris testamenti (quæ typus & fi-
gura Christi erant) eadem ratio. Perpendantur hæc verba:
Et fulciet Abaron ambas manus suas super caput hirci viui, & con- Leuit. 16.23
fitabitur super illud omnes iniquitates filiorum Israël, & omnes præ-
uaricationes cum omnibus peccatis eorum: & dabit eas super caput
hirci, & mittet in manu viri oportuni ad desertum. Et portabit hir-
cus super se omnes iniquitates eorum in terram seiunctionis. Hic v-
trobiq; mera rationalis imputatio tam iniquitatum quas pa-
trarat populus ad hircum, quàm exportationis earum ab hir-
co præstitæ ad populum.

L I. Quæ omnia mirè conueniunt cum ijs, quæ suprâ de
notatione iustificationis & eius formâ diximus: quod nimi-
rum illa sit forensis, ista consistat in remissione peccatorum.
Nam Paulus clarè declarat idem esse *imputare iustitiam* quod
Non imputare peccatum siue remittere & tegere illud. Vide Rom.
4, v. 6, 7, 8. Nempe simul & semel imputatur meritum Chri-
sti, & remittitur peccatum, vt hic sit vnus & idem diuinus a-
ctus, non nisi formaliter ratione obiectorum distinctus.

L II. Et hætenus de merito, propter quod nobis impu-
tatum iustificamur. Sed non hoc solum imputari dicitur, ve-
rùm etiam fides. Abraham enim *credidit in Dominum, & im-* Gen. 15.6.
putauit ei ad iustitiam. Quod aliquoties repetit Paulus Rom. 4.
& Galat. 3.

L III. *Non scriptum est autem, inquit, propter ipsum solum,* Rom. 4.22.
quia reputatum est illi; sed & propter nos quibus reputabitur cre- 23.
dentibus in eum qui suscitauit Iesum. Ideoq; paullo antè in ge- 5.
nere dixerat: *non operanti, credenti autem in iustificantem impi-*
um reputatur fides eius ad iustitiam.

L IV. Vbi obseruandum Imputationem, quæ actio & co-
gitatio

Ier. 53, 6.

v. 18.

gitatio mentalis est, dici posse Personæ vel Rei. Personæ, quando ab vnâ ad aliam transfertur, quod illius quidem proprium: & hoc imputatione, id est, cogitatione, vt patet in exemplis. Iniustitia nostra in Christum transfertur neutiquâ realiter, efficaci tamen imputatione; Nam *Iehoua coniecit in eum iniquitates omnium nostrum*: quemadmodum vicissim in nos ipsius iustitia. Ita Paulus ad Philemonem de Onesimo: *si aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi meâ manu, ego reddam.* Adeoq; in hac imputatione duas personas esse necesse est, à quâ transfertur, & ad quam transfertur, quidquid tandem id sit, quod transfertur. Eum enim qui transfert, præsupponimus.

L V. In alterâ duas oportet esse res, quarum vna putetur & habeatur pro aliâ, siue æquali, siue viliore, siue præstantiore. Vnum sufficit subiectum aut persona, cui imputetur. Exempla. Num. 18, 27. *Reputabitur vobis (puta Leuitis de datâ decimâ offerentibus) eleuatio vestra sicut frumentum de arca, & sicut plenitudo de torculari.* Psal. 106, 30. *stetit Pinehas & iudicauit, & prohibita est plaga, & reputatum est ei ad iustitiam in generationem & generationem.* Pinehæ certè nulla infusa adfirmatur iustitia, sed zelus ille imputatus ad iustitiam, ita vt ipsi confirmaretur sacerdotium. Rom. 2, 26. *preputium illius in circumcissionem reputabitur.*

L VI. Est tertia analogâ quædam reputatio, quâ res id, quod reuerâ est, esse putatur & iudicatur, vt quando iustitia pro iustitiâ, peccatum pro peccato habetur. Potest quoq; vocari imputatio secundum debitum, cuius scil. fundamentum sit in ipso. Rom. 4, 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

L VII. Analogam verò dicimus respectu priorum. Nam licet peccatum à nemine pro peccato reputetur, peccatum tamen est: accedit tamtùm conceptus & iudicium hoc mentale,

tale, nihil rei nec cogitando addens aut detrahens. Priores verò per conceptum mentali decreto rationabiliter vel quod illius est, istius faciunt; vel rem aliam pro aliâ accipiunt.

LII X. In negatione istius, quam modò analogam appellauimus, imputationis nostram sitam esse iustificationem iam antè ostendimus. Deus enim nostra peccata non imputat, id est, pro peccatis non habet, accipit aut punit. Talis quoq; vsus vocabuli huius in deprecatione Simhi ad Dauidem: *Ne imputet mihi Dominus meus iniquitatem, & ne memineris, quod iniquè egit seruus tuus &c.* Priorum primâ siue personali illâ imputatur nobis meritum Christi; quam veritatem paullo ante probauimus. Alterâ seu Reali λογίζεσθαι ἢ πίστεως εἰς ὁμοιοουσίαν imputatur fides ad iustitiam, id est, habetur & iudicatur esse pro iustitiâ, siue loco iustitiæ.

LIX. Postquam enim causam efficientem principem, deinde meritoriam quoq; exposuimus, & de imputatione necessaria monuimus; iam commodè tractabimus causam instrumentariam, eam quæ est respectu nostri adprehendentem, quam dicimus esse solam fidem.

LX. Probamus liquidâ scripturâ. Gal. 2, 16. *Non iustificatur homo ex operibus legis, NISI per fidem Iesu Christi.* Hic satis manifestò expressa est particula exclusiua, vt mirum sit Bellarminum eò arrogantia processisse, vt scriberet: *Solent quidem aduersarij perpetuò iactare verbum Dei expressum, atq; ad hoc unum caput dogmata sua omnia reuocare. Sed in hac causâ destituntur isto presidio. Nusquam enim hætenus ostendere potuerunt in sacris literis illam particulam SOLA, cum de fide iustificante agitur.* Ignorat fortè Bellarminus enunciationes exclusiuas & exceptiuas, & exceptiuam negantem factam per *Nisi* æquiualere exclusiue adfirmati signi factæ per *sola*. Posset hoc compluribus alijs exemplis ostendi, sed pauca depromemus è sacris litteris. In eâdem epistolâ ad Galatas ait Paulus: *Aliam*

*Apostolorum non vidi nisi Iacobum fratrem Domini, h. e. solum Iacobum ex alijs Apostolis vidi. c. 6. v. 14. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, h. e. in solâ cruce Christi glorior. Ita Matth. 14. v. 17. Non habemus hîc nisi quinq; panes & duos pisces, h. e. tantum quinq; panes & c. c. 15, v. 24. Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israël, h. e. ad solas eas missus sum. Marci 2, 26. Panes propositionis non licebat manducare nisi sacerdotibus, h. e. solis sacerdotibus. c. 5, v. 37. Non permisit quemquam se consequi nisi Petrum & Iacobum & Ioannem. Ioan. 17, 12. Nemo ex eis perijt nisi filius perditionis. I. Cor. 1, 14. Neminem vestrum baptizavi nisi Crispum & Caium, h. e. solos Crispum & Caium baptizavi. Isthæc omnia euincunt, cum Paulus dicit: Non iustificatur homo nisi per fidem Iesu Christi, idem esse ac si diceret, Per solam fidem Iesu Christi iustificatur homo. Habet igitur hîc Bellarminus particulam exclusiuam, quam inuenire non poterat. Sic quoq; habetur Marci 5, 36. Luc. 8, 50. Crede tantum. Omitto quod Rom. 4, 5. in Syriacâ translatione legatur: *Ei qui non operatur, sed tantum בלחור credit in eum, qui iustificat peccatores, imputatur fides sua ad iustitiam.**

LXI. Huc faciunt prædicta pænè omnia. Quoniam enim, qui impij sumus, iustificamur, idq; neq; infusâ iustitiâ, neq; obseruatione legis, neq; meritis aut operibus: verum remissione peccatorum gratis ex merâ misericordiâ propter meritum Christi, manifestissimè adparet nihil à nostrâ parte ad negocium facere præter solam, quâ tanta bona adprehendimus, fidem.

Eph. 4, 5.
Act. 15, 11.

LXII. Exempla quæ passim in sacris occurrunt, idem demonstrant. Nam nullum dubium est omnibus temporibus vnâ & eandem iustificationis rationem fuisse, esse, fore. Siquidem *vnus Dominus, vna fides*; nosq; seruemur, quemadmodum patres veteris testamenti. Iustificati verò sunt, quotquot iustificatos legimus sine operibus præcedentibus,
coïn-

coincidentibus, sequentibus ex gratiâ per solam fidem. Abraham *Gen. 15. Rom. 4. Gal. 3.* Et nota eum annos complures relictâ patriâ Deo seruientem viuum iusti exemplar exstitisse: nihilominus ex fide iustificatum fuisse. Quare iustitiam fides non tantum inchoat, nisi scriptura hîc absurdè inchoationis actui totum effectum tribuat, & alibi falsò principium atque finem adscribat: *Iustitia Dei in Euangelio reuelatur ex fide in fi-* Rom. 1, 17.
dem, dicendum enim fuisset *ex fide in opera*, si iustitiam fide inchoatam opera perficerent. Insuper scriptum est: *Iustus ex* Hab. 2, 4.
fide uiuet. Vitam igitur perpetuat fides.

LXIII. Conformiter Abrahamo iustificantur Iudæi *Act. 2.* Samaritani, Eunuchus *Act. 8.* Custos carceris *Act. 16.* Paulus *Act. 9. 1. Tim. 1.* Paralyticus, Cananæa *Matth. 9.* Seruus debitor *Matth. 18.* Publicanus *Luc. 18.* Latro *Luc. 23.* Quod postremum notandum quum non sine diuino consilio in ipsâ passione exhibitum, quò confestim omnibus fructus & effectus eius, nimirum gratuita per fidem iustificatio patefieret.

LXIV. Quòd si ad hanc à nobis quidquam præter fidem aliud requireretur, falsus foret & falleret Christus ipse, quando dicit: *Deus dedit filium suum unigenitum, ut omnis qui credit* Ioh. 3, 16.
in eum, non pereat. Petrus: *Huic omnes Propheta testimonium* 6, 40.
perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes Act. 10, 43.
qui credunt in eum. Paulus: *In hoc omnis qui credit, iustificatur.* 13, 39.
Non enim iustificari poterit omnis qui credit, nisi à suâ parte illud credere sufficiat, nec exigantur alia. Si exiguntur, oportet adesse; neq; sine eis iustificabitur, etiamsi credat.

LXV. Quoniam verò non vnâ significationem obtinuit vocabulum fidei, sequitur ordine, ut quænam & qualis iustificans illa sit, ostendamus.

LXVI. Quamobrem obseruandum Fidem quandoque dici de Deo, & denotare fidelitatem & veracitatem eius in seruandis promissis & operibus quibuscumq; *Pf. 33, 4. Ies. 11, 5.*
Rom. 3, 3. 67. Quan-

LXVII. Quandoq; , imò vt plurimùm pro hominum fide accipi; & hanc esse vel operariam, vel habitualem. Sumemus nobis hanc licentiam, atq; ita distinguendi gratiâ appellabimus.

LXVIII. Operaria aliàs denotat constantiam, probitatem & integritatem in dictis & factis. *Gen. 36, 44. Leuit. 6, 2.* aliàs singularem miraculorum efficiendorum potentiam, de qua Paulus: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam.* Christus item *Matth. 7. & Luc. 17.*

LXIX. Habitualis alia intellectus est, alia voluntatis. Illa est cognitio doctrinæ, religionis, rerum, historiarum. Ista est fiducia in res per intellectum cognitatas, adprehensas & voluntati repræsentatas.

LXX. Nunc disquirendum, quænam harum iustificet. Operaria quidem prior illa, quæ pro pietate, probitate & integritate accipitur suprâ exclusa est, quum lex, opera & merita vnâ omnia excluderentur. Posteriores miraculorum habuerunt etiam multi, qui dicent in die illâ: *Domine, Domine, nonne in nomino tuo demonia eiecimus, & virtutes multas fecimus?* Audient verò: *Non noui vos.* Quamobrem nec hæc saluat; nec illa.

LXXI. Porrò Fides quæ notitia in intellectu est, quam generalem aut historicam dixeris licet, communis quoq; est dæmonibus, plurimis pereuntibus impijs, adeoq; omnibus qui peccant in Spiritum sanctum. Et certè dæmones tantò nobis exactiùs norunt & credunt quæcumq; Deus reuelauit, quanto intellectus ipsorum nostro præstantior est. Et multi ex principibus, qui non confitebantur, credebant in Iesum: quippe conuicti & coacti euidentiâ testimoniorum & miraculorum sciebant, ac proinde credebant eum esse Messiam. Quia verò nihilominus repugnabant, arguuntur peccati in Spiritum sanctum & irremissibilis. *Matth. 12, 31. Marci 3, 29.*

72. Si

LXXII. Si itaque eo, quod sciant homines & credant Christum Messiam, passum, crucifixum, resurrexisse, adscendisse, & cetera quæ in sacris credenda proponuntur: si, inquam, neq; per huiusmodi fidem iustificantur, superest ut per alteram iustificentur, quam esse diximus fiduciam in hæc ita cognita & credita. Nam hæc fides recipit siue adprehendit ^{Ioan. 1, 12.} Christum.

LXXIII. Prior illa sine hac esse potest, & aliquando est: hæc sine illâ numquam. Oportet enim principio ab intellectu adprehendi & cognosci, in quod progressu feratur voluntas.

LXXIV. Quamobrem in veteri foedere iubentur homines fidere & confidere in Deum. His enim circa hoc præcipua difficultas, quum aliàs ut populus Dei collectus ab infantia cognitionem imbiberent. In nouo autem, vbi vocabantur & conuertebantur gentes sanam doctrinam nescientes, adhibet Spiritus sanctus vocabula *credere* & *fides*: quæ quidem primariò fiduciam significant, neq; tamen non notitiam includunt & præexigunt. Atq; hinc hæc vaticinatus Iesaias Fidem scientiam adpellat. *In scientiâ, inquit, suâ iustificabit ipse* ^{c. 53. v. 11.} *iustus seruus meus multos.*

LXXV. Fidem igitur quæ iustificat fiduciam esse docet nos Seruator noster, quando paralytico ait: *Confide fili.* Et ad- ^{Matth. 9. 2.} dit, in quod debeat confidere, videlicet *remittuntur tibi peccata tua.*

LXXVI. Epistola ad Hebræos Fidem definit in hunc modum: *ἔστι ἡ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων ἔλεγχος ἔβλεπομένων.* ^{c. 11. v. 1.} Si pro substantiâ accipias *ὑπόστασις*, vix explices. Eam enim habent res speratæ sine fide: neq; fides vllarum rerum substantia est. Et quum fides qualitas in animo sit, non debet pro eâ definiri aliquid extra subsistens: verum ipsa, tamquam quæ in animo.

LXXVII. Quare videndum, quid præterea denotet. Sicut

Y

Sicut verò ὑφίσταμαι vnde descendit, non tantum significat *subsisto*; verum etiam *suscipio* & *fidenter adgredior rem audendam*: ita quoq; ὑπόστασις non pro substantiâ tantum usurpatur, sed & pro fiducia. Exempla obuia. Quod Ps. 39, v. 7. in Hebræo est יְהִי־יְהִי־יְהִי *Expectatio mea*, verterunt LXX: ἡ ὑπόστασις μου ὧδ' ὅτι ἔστιν. ἀπὸ πάσων τῶν ἀνομιῶν μὴ ῥῆσαι με. Paulus 2. Cor. 9, 4. *Ne fortè si venerint mecum Macedones, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως in fiducia hac gloriationis*, quâ scilicet τὴν περὶ ἡμῶν ἐπιθυμίαν ὑμῶν coram alijs fidenter prædicauimus. Idem verbum in eadem significatione c. II. v. 17.

LXXII X. Quam & hoc loci præ priore recipiendū contextus euincit. Euincit præterea huiusdem Epistolæ cap. tertium, quod vnam & eandem sententiam dupliciter effe-
rendo v. 14. ὑπόστασιν dicit id, quod ante v. 6. τὴν παρρησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος & dixerat. *Christi participes facti sumus*, si modò τὴν δόξαν τῆς ὑποστάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατήχωμεν.

LXXIX. Fides igitur est fiducia rerum speratarum & ἔλεγχος & βλεπομένων, quibus verbis priora vel confirmantur, vel explicantur. Confirmantur, si idem sonant; explicantur, si ἔλεγχος sit conuictio vel demonstratio in mente nostrâ de rebus quas non videmus, quales sunt diuina misericordia, & remissio peccatorum; in quibus fiduciam ponere & adquiescere prius non possumus, quàm animo demonstratæ sint & persuasæ. Semper enim fiducia quæ in voluntate est prærequirit & præsupponit noticiam quæ sit in intellectu.

XX C. Porro fidem iustificantem fiduciam esse ex eius
Rom. 10, 17. causâ producente ostendi potest. *Fides ex auditu: auditus per verbum Dei*. Qualis itaq; causa, talis effectus. Quale auditum verbum, talis quoq; fides. Quamobrem si in verbo nudæ narrationes proponerentur, utiq; concederem fidem esse noticiam quæ eas tantum sciret & crederet. At quia in verbo offer-
fertur.

fertur gratia Dei, Christus, Christiq; plenissimum meritum, neq; non docemur & iubemur *perfectè sperare in eam quæ nobis* ^{1. Pet. 1, 13.} offertur gratiam in reuelatione Iesu Christi: omnino sequitur huiusmodi etiam fidem effici, id est, talem quæ in oblata cognita & credita perfectè speret ac confidat: eamq; iustificare, quandoquidem sola notitia id non possit.

XXCI. *Adeamus ergò* ^{ἡμῶν παρρησίας} *thronum gratiæ: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei.* At non ij ^{ἡμῶν παρρησίας} Regem accedunt, qui Regem norunt: verùm qui regium fauorem sibi persuasum habent, & in eius beniuolentiâ confidunt. Quum in Christo igitur habeamus ^{τὴν παρρησίαν ἢ τὴν δωρεάν} *per fidem eius*: liquidò adparet, fidem non esse nudam notitiam; per hanc enim non fidenter adeò accedere solemus: sed multò magis firmam fiduciam. ^{Eph. 3, 12.}

XXCII. Et hæc ipsa est, quam à Christiano milite sumi vult Apostolus hisce verbis: *In omnibus adsumentes scutum fidei* ^{Eph. 6, 6.} *in quo possitis omnia tela illius nequam extinguere.* Quid enim quæso nuda Dei aut articulorum fidei cognitio *aduersus principatus, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum seculi huius?* Sed qui *confidunt in Domino sicut mons Sion, qui non commouebitur, sed in seculum manebit.* Talis itaq; est fides, ^{Psal. 125, 10.} *quæ vincit mundum.* ^{1. Ioh. 5, 4.}

XXCIII. Talis est fides, quæ in precibus passim & commendatur, & flagitatur. Nam si sola notitia foret, orarent atque impetrarent etiam diaboli, qui nos hac parte longè excellunt. Neq; Iacobus postquam dixerat: *Postulet in fide* ^{c. 1, v. 6.} *adiecisset* ^{μὴδὲν ἀσχεμονόρδου}. Postulari igitur vult in fide sine hæsitatione aut ambigüâ alternantium sententiarum disceptatione, h. e. in fiducia.

XXCIV. Ex vnis eisdemq; fundamentis optimè demonstratur certitudo iustificationis nostræ. De eâ enim dubitare quotquot credimus, neq; possumus neque debemus,

quum sciamus ad hoc quantumcumq; est negotij à parte nostrâ neq; opera neq; merita vlla quidquã facere; facere tantum solam fidem: neq; id quia fides adeò excellens aut condignè merens; vtpote sæpenumero imperfecta & vnus tantum præcepti vna virtus: sed quia adprehendit Christum; *Ioh. 6, 40.* quia *hæc est voluntas patris, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.*

XXCV. Si verò credentes de iustificatione & salute suã dubitare nefas est: validè sequitur, fidem quã iustificamur & saluamur firmissimam esse fiduciam. Et econuersò, si fides est fiducia, vt certè est: sequitur errare eos qui nos de salute nostrâ certos esse posse negant, adeoq; perpetuã dubitatione ambigendum adfirmant.

XXCVI. Neq; hoc loci disputamus, an fides fidelium in hac infirmitate tentari, labefactari vel euerti possit; neque tantam certitudinem in falsã aliquã persuasione aut Epicureã securitate vel fide mortuã & hypocriticã siue tali quæ errores contra fundamentum foueat, collocamus: verum in fiducia filio Dei innixã, atq; ab ipso Deo datã, mandatã & ordinatã, per quam seruemur.

Rom. 5, 1. **XXCVII.** Ex hac igitur *iustificati pacem habemus ad Deum*: quæ profectò cum dubitatione consistere nequit. Inquietus enim est animus, quãndiu hæsitat & fluctuat. Pacem igitur suis relinquit Christus, *pacem, inquit, meam do vobis, non quemadmodum mundus dat, ego do vobis.* Et post: *vt in me pacem habeatis, præcæte ego vici mundum.* De hac pace & fiducia concionatur Iesaias *cap. 32. v. 17 & 18.*

Ioh. 14, 27. 16, 33. **XXCVIII.** Eamdem inculcant vocabula, quorum vsum & ἐνεργῶν considerare operæ precium est. ἀγκυρα *Heb. 6, 19. πληροφροσύνη πίστεως. Heb. 10, 22. ὁμολογία τῆς πίστεως ἀκλινης. v. 23. καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι. Rom. 5, 2. Philipp. 3, 3. παρρησία καὶ προσευχή ἐν κυρίῳ. Eph. 3, 12.*

XXCIX. Petrus eam disertè præcipit & requirit. Dicit enim: *τελείως ἐλπίζετε ὅτι τὸ φερόμενον ὑμῶν χάρις.* Et Paulus adeò pro reprobis habet eos, qui non agnoscunt in se esse Christum. 1. Pet. 1, 13.
2. Cor. 13, 15.

XC. Antea quoq; diximus de verbo, per quod fidem operatur Spiritus. In eo promissiones de recipiendis nobis in gratiam & delendis nostris delictis multoties iterantur & ingeminantur. Neq; nudæ tantùm, sed interpositis etiam iuramentis. Quorsum illæ, quorsum ista nisi *ut firma sit promissio omni semini? ut fortissimum solatium habeamus confugientes obtinere propositam spem, quam sicut anchoram habemus anima tutam ac firmam.* th. 80.
Rom. 4, 16.
Heb. 6, 18.

XC I. Implicant verò semetipsos, qui contendunt remissionem peccatorum in genere quidem credi debere, at de singulis dubitandum esse. Nam veritas generalis propositionis verificatur in suis singularibus; ideoq; si de singulis dubitandum, de omnibus quoq; dubitari oportet. Neq; Ecclesia certa esse poterit, nisi simul certa sint, quæcumq; viua Ecclesiæ membra sunt. Igitur Paulus: *dilexit ME, & tradidit semetipsum pro ME.* Gal. 2, 20.

XC II. Præterea verba quibus filius Dei Apostolis suis potestatem remittendi fecit, admodum clara sunt. *Quorum*, inquit, *remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nefas igitur dubitare de certitudine remissionis per huiusmodi potestatem factæ; quando videlicet minister ad te, quod ad Dauidem Nathan: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* Ioh. 20, 22.
2. Sam. 12, 13.

XC III. Et quò hoc certius foret Sacramenta instituta sunt fiducia excitandæ & confirmandæ, dubitationi verò penitus eradicandæ. Hoc sensu circumcisionem dicit Paulus *σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως.* De baptismo adfirmat, quòd *Christum induerint, quicumq; baptizati sunt.* Petrus eum adpellat *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν.* In coenâ quoque Rom. 4, 11.
Gal. 3, 27.
1. Pet. 3, 21.

quibuscumq; fidelibus adplicatur quod dixit qui instituit:
Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur in remissionem pec-
catorum.

2. Cor. 1, 22.
Eph. 1, 13.
4, 30.
Rom. 8, 15.
XCIV. Verum ne hisce quidē sigillis, quæ aliàs omnem
dubitationem tollere solent, contentus est: sed in maximam
certitudinem obsignat nos Deus Spiritu illo promissionis san-
cto, qui est obses vel arrhabo hæreditatis nostræ; *non Spiritus*
seruitutis in timorem, sed adoptionis filiorum, in quo clamamus Ab-
ba pater. Ipse contestatur spiritui nostro, quod sumus filij Dei.

XC V. Abundè igitur fecit Deus hortando, pollicitan-
do, iurando, obsignando, quò solidissimam in animis fiduci-
am crearet, & quidquid eam impedire posset, auerruncaret.

Rom. 4, 20
Psal. 23, 4.
31, 1.
Iob. 19, 25.
Luc 2, 29.
Rom. 8, 38.
1. Cor. 9, 26.
2. Tim. 4, 8.
Gal. 2, 20.
1. Ioh. 3, 2.
14.
5, 10.
XCVI. Huiusmodi fiducia fuit in Abrahamo, qui *non*
disceptauit diffidentiã, sed confortatus est fide. In Dauide, qui
etiam ambulans in valle vmbra mortis non timebat malum; qui in
Dominum sperabat non confundi in æternum. In Iobo, cuius ver-
ba profecta ex animo de salute suã confirmatissimo, hæc sunt:
Ego noui redemptorem meum viuere &c. Qualem quoq; fiduciam
conceperat Simeon, quum diceret: *Nunc dimittis seruum tu-*
um Domine in pace. Paulus in suã & quorumcumq; fidelium
personã confidentissimè gloriatur: *Certus sum, quod neq; mors,*
neq; vita &c. Ille sic se currere dicit, *ὡς σὺν ἀδύλας* sic pugna-
re, ὡς σὺν ἀεγῶ δαίμων. Alibi: *Reposita est mihi corona iustitiæ,*
quam reddet mihi Dominus in illã die. Item: *In fide uiuo filij Dei,*
qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Vbi animaduerte
nequaquam ex aliquã reuelatione deducere Apostolum,
quòd uiuat in fide: sed ex dilectione Dei & passione Christi,
sibi cum omnibus fidelibus communi. Ioannes ait: *Scimus*
quoniam cùm adparuerit, similes ei erimus. Et: *Nos scimus, quo-*
niam translati sumus de morte ad vitam. Qui ab his diuortium
facit, & *non credit Deo, mendacem facit eum &c.*

XC VII. Huiusmodi fiduciam filius Dei non adpellat
arro-

arrogantiam aut immodestiam; neq; tantum mandat sed & commendat in hæmorrhousâ *Matth. 9, 22.* in duobus cæcis *v. 29.* in Cananæâ *Matth. 15, 28.* in Centurione *Luc. 7, 9.* Quod si dixeris hanc fiduciam de impetrandis bonis temporalibus fuisse: respondero filium Dei id propter quod missus præcipuè egisse, & cœlestia ante terrestria, vel certè sine illis ista non impertivisse. Imò si in impetratione temporalium tanto opere requiritur fiducia, magis maiore requiretur in impetratione æternorum, quæ quanto minus aliquâ nostrâ virtute promereri possumus, tanto magis firmâ fide & fiducia adprehendamus & adquiramus necesse est.

XCIIIX. Econtra proferatur vnicus scripturæ locus, quo dubitatio vel mandetur, vel commendetur. Vbiq; prohibetur, vbiq; reprehenditur. *Marci 16, 14.* ἀνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ σκληροκαρδίαν. *Luc. 12, 29.* μὴ μετεωρίζεσθε. *Matth. 6, 30.* ὀλιγόπιστοι. *c. 14. v. 31.* ad Petrum: ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίσασας; *1. Tim. 2, 8.* χωρὶς διαλογισμῶν. *Iac. 1, 6.* μηδὲν διακρονοῦσθε. ὁ γὰρ διακρονοῦσθε similis est fluctui maris qui ventis agitatur & iactatur. Et hic emphaticæ sunt voces, quæ significanter significant fluctuare, hæsitare, disceptare, δύο τῶν εἰς ἔχειν καὶ διάνοιαν, & vni parti adsentiri, sed cum formidine alterius.

XCIX. Atq; sicut antè diximus firmam fiduciam oriri ex firmo Dei verbo & confirmatis promissionibus, quibus confidere iubeamur: ita dubitatio tamquam defectus à fide, veritate & certitudine oritur à Diabolo dubitationis auctore, naturali cœcitate & humanæ mentis disceptatione. *Primi parentes expressam Dei voluntatem audierant: ab eâ Serpens deducit, & διακρονοῦσθε seducit. Zacharias διεκρίθη & obmutuit. Petrus demergi cepit. Moses exclusus est terrâ promissionis.* *Gen. 3. Luc. 1. Matth. 14. Num. 20.*

C. Quod si fidei vel proprietas, vel requisitum, vel decus foret dubitatio, nequaquam hæc illam tolleret, verum perficeret.

ceret. At constat fidem eò debiliorem esse, quò intentior est dubitatio. Nihil igitur fidei magis contrarium, quàm am-
bigere, quo illa aut impugnatur, aut expugnatur. Idq; nisi i-
ta esset, non oraremus: *Domine adiuua incredulitatem meam.*
Adauge nobis fidem.

CI. Concludemus itaq; & finem faciemus. Qui dubi-
tat, non credit: Qui non credit, condemnatur *Marci 16, 16.*
Ioan. 3, 18. Quidquid est ex dubitatione, non est ex fide: Quid-
quid non est ex fide, peccatum est. *Rom. 14, 23.* Atq; ita abundè
probauimus & nos de remissione peccatorum & salute nostrâ
dubitare non debere; & fidem per quam iustificamur fiduci-
am esse.

CII. Superest vt breuiter ostendamus hanc ipsam à ca-
ritate ceterisq; virtutibus re verâ separari non posse. Nam
1. Ioan. 3, 9. *omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit.* At *omnis qui credit*
quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est. E. Et quia *Christus*
per fidem inhabitat in cordibus nostris, nihilo magis à fide pote-
rit separari caritas, quàm à spiritu suo Christus. Christus i-
gitur & Spiritus sanctus fidem in cordibus nostris produ-
cens producit simul innouationem & caritatem: Neq; enim ibi
ociosus est, neq; habitat in pectore impio, peccatis & odijs re-
ferto. Fides itaq; hæc *per caritatem ενεργησμενην,* id est, actiuosa
& efficax est. Nam *corda fide purificantur.*

CIII. Deinde frequens est argumentatio à fide ad pro-
bandam caritatem; à negatâ caritate ad negandam fidem. I-
1. Tim. 5, 8. ta Paulus ex eo, quod si quis suis & maximè domesticis non
prouidet, eundem fidem abnegasse & infideli deteriorem es-
Ioan. 6, 64. se collegit. Ita Iudas, quia proditorus erat magistrum, ijs qui
non credebant, ad censetur.

CIV. Ita Epistola Iacobi fidem, quæ nuda sit noticia pro
fide iustificante habendam non esse demonstrat ex eo, quòd
ipsi illi, contra quos disputat, eâ præditi & iactabundi neq; à
scele-

sceleribus abhorreant, neq; caritatem exerceant. *Quæ, in-*
quit, utilitas si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?
 Postea prouocat, vt huiusmodi homo ostendat fidem sine o-
 peribus, quòd videlicet fieri de verâ non possit: se ex operi-
 bus suis tamquam effectis ostensurum fidem suam, immedia-
 tam eorum causam. Quòd si autem pro verâ fide substitua-
 tur historica, etiam eâ fide demones credere, at contremisce-
 re. Hanc igitur fidem, quæ ab operibus separari queat, veram
 nõ esse cognosci ex collatione cum verâ fide, qualis fuit Abra-
 hami, quæ separari non potuit. Nam ille *ex operibus, ἐδυνατώθη,*
hoc est, compertus est fuisse iustificatus, quum obtulisset filium
super altare. In præputio quidem multis antè annis iustifica-
 tus erat, non ex operibus sed ex imputatione: *Rom. 4. hîc verò*
ex operibus fides eius perfecta fuit, id est, perfectiùs perspecta.
 Perfecta enim alio modo esse non potuit, quàm diu in carne
 ille vixit. *Videtis igitur ex operibus vtpotè imediatè consequen-*
tibus effectis colligi & cognosci veram fidem & iustificatio-
nem, non ex doctrinæ cognitione tantùm quam pro fide quis
venditet. Huiusmodi enim fides, quæ absq; operibus est, ijsq;
 non declaratur, nequaquã saluifica est, sed mortua, siue nulla.
 CV. Quamobrem sicut Paulus fidem iustificare docet, non
 vt opera tollat, iustificandi tamen vim eis detrahat: ita Iaco-
 bus opera stabilit, non vt iustificandi vim eis tribuat, sed ex
 quibus iustificationem arguat. Ille excludit causæ, iste ad-
 mittit respectu effectuum, quippe qui cum suâ causâ indissol-
 lubili adeò nexu cohæreant, vt vbi ipsi non sint, neq; ibi sit
 ipsorum causâ; vbi verò causâ sit, scilicet iustifica fides, ibi
 necessariò adsint bona opera: atq; ita euidenter ex altero al-
 terum demonstratur.

CVI. Nam verum est, & firmum: *Omnis arbor bona fa-* Matt. 7, 17'
cit fructus bonos. Rom. 8, 14. Quotquot Spiritu Dei aguntur, ij
sunt filij Dei. 1. Ioan. 2, 3. Per hoc scimus quod ipsum nouimus, si
Z
man-

Handwritten notes in the left margin, including the word 'man-' and other illegible scribbles.

v. 14.
 18.
 19.
 20.
 21.
 22.
 24.
 26.



mandata eius observamus. v. 4. Qui dicit se nosse eum, & mandata eius non servat, mendax est. v. 9. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est usq; adhuc. v. 10. Qui diligit fratrem suum, in luce manet. c. 4. v. 8. Qui non diligit, non novit Deum.

2. Thef. 3, 2.
Philip. 1, 29.

CVII. Haecenus de causâ instrumentariâ adprehendente Fide; quæ quia non est omnium, neq; enim ex nobis, quibus donatur in Christum non solum in eum credere, sed & pro illo pati: nunc disce causam instrumentariam, quâ Deus remissionem peccatorum offert, & fidem per quam remittuntur efficit.

Rom. 10, 17.
1. Pet. 1, 23.

Ioan. 6, 45.

Eph. 5, 26.
Tit. 3, 5.
1. Pet. 3, 21.

CIIX. Disce verò ex Paulo. *Fides, iuxta illum ex auditu, ac auditus per verbum Dei.* Et per hoc renatos nos dicit Petrus. Nam quisquis audiuit à patre, & didicit venit ad me, ait Christus. Deinde instituit Sacramenta, per quæ itidem & dat, & firmat, & ratificat. Hinc scribit Paulus: *Mundans Ecclesiam lauacro aquæ in verbo.* Item servavit nos per lauacrum regenerationis. Petrus: *salvos nos facit baptisma.* Verbum igitur & Sacramenta sunt instrumenta ex parte Dei, quibus ille filium suum quæq; filius nobis promeruit, offert, oblata donat, donata consignat.

Eph. 2, 7.

CIX. Finem iustificationis respectu iustificantis hunc docet Apostolus: *ut ostenderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Respectu iustificatorum finis est vita æterna Rom. 6, 22. Salus animarum 1. Pet. 1, 9.

CX. Atq; ita Iustificationem, eiusq; causas & de quibus circa eas controuertitur, explicauimus. Formalem quidem statuentes non imputationem delictorum siue imputationem meriti Christi. Materialem, peccatores, quales sunt omnes homines. Efficientem principem, gratiam, id est, gratuitum Dei fauorem: Meritoriam, meritum Christi: Instrumentariam adprehendentem, solam fidem, quæ non nuda sit noticia, sed firma fiducia caritatem & alia bona opera tamquam fructus semper & necessario producat; offerentem, verbum & Sacramenta. Finale, qualem paullo ante diximus.

*Verte 16. folia
et sequetur disp. 8
de poenitentia.*

00 A 6446


ULB Halle 3
002 935 767




WMA

Retro ✓







14.

DISPUTATIONVM THEOLOGICARVM
SEPTIMA
DE IVSTIFICA-
TIONE.

CVIVS THESES
AVSPICE DEO OPT. MAX.

SVB PRAESIDIO
M. GEORGI CALIXTI
HOLSATI
IN ILLVSTRI ACAD.
IVLIA

proprio. Eid. Quintil.

DEFENDET
SIMON STRVVIVS
• Goslariensis.



HELMMAESTADI,
Ex officina typographica IACOBI LVCII,

ANNO MDCCXI.

